

**INDEX**  
**LECTIONUM**

IN

**ACADEMIA ROSTOCHIENSI**

**SEMESTRI HIBERNO A. MDCCC<sup>LV</sup><sub>LVI</sub>**

**A DIE XV M. OCTOBRI**

**PUBLICAE PRIVATINQUE HABENDARUM.**



---

**DE VERSU EUPOLIDEO**

**F. V. FRITZSCHUS**

**PRAEFATUS EST.**

---

**LITERIS ADLERIANIS.**


INDEX  
LECTIONUM

ACADEMIA ROSTOCHENSIS

SEMESTRI MENSE A. MDCCCXXI

A DIE XX. M. OCTOBRI

EDICE PRIVATIM HABENDUM



DE VERSE EPIQUE

V. A. VITRUVI

LIBRARIUS

ALBERTUS

**P**ropitiam hanc vestram scitote fortunam esse, commilitones, Optimi Principis benignitate partam, quod in nostra Musarum sede viri in suo quisque artium genere strenui et cuius Academiae pares futuri literas docent, qui cum aliis virtutibus legum obedientiam magnamque fidem conjungunt. Quorum exempla ad imitandum proposita quoniam vos nunc ea alacritate sequimini, ut non opus sit incitare currentes, ad communes literas jam nunc nobis transire impune licebit. Videtis autem, quaestiones, quas hoc anno solvere jussi estis, ad unam omnes inita subductaque ratione electas esse. Quo ex genere quod glyconeos cognatosque versus latinorum maxime poetarum explicari voluimus: hoc inprimis quaesitum est, ut Q. Horati Flacci carmina assidue lectitaretis. Nam Horatium, poetam egregium, hominem prorsus amabilem, civem patriae vere amantem, amicum Maecenati, toto denique animo ipsi Augusto deditum in scholis et Academiis nunc minus quam antea tractari sane dolendum est. Quam mallet illud in nostra tempora caderet, quod R. Benteleus de sua aetate vere praedicavit, Horatium unum omnium veterum maxime in manibus hominum pectoribusque haerere. Vos vero Horati carmina operae, curae ac studio vestro etiam atque etiam commendata habeatis. Hoc autem loco in medium afferre placuit, quae etsi e Graecorum comoedia de-  
promentur, tamen cum glyconeis versibus arcto vinculo cohaerent.

Comicorum et parabasis minor et epirrhemata uno semper eodemque metri genere decurrunt, si ab Eupolidis Androgynis discedatur. Nam hujus unius fabulae parabasin Hephaestio p. 110 testatur diversis metris (πολυσχηματίστοις) compositam fuisse, quorum specimina ex eodem Androgynorum loco ipse antea p. 99 haec dedit

*ἄνδρες ἑταῖροι, δεῦρο δὴ τὴν γνώμην προσίσχετε,  
εἰ δυνατὸν, καὶ μῆτι μείζον πρόαττουσα τυγχάνει,*

et contra

*καὶ ξυνεγγνώμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγοισιν.*

Sed Hermannus rei insolentia offensus in Elem. D. Metr. p. 583 Cratineis versibus unicum, qui catalexi esset choriambica, additum esse coniecit (uti autem commode poterat parabasi Vesp. v. 1283 et antistr. 1291): Bergkii vero De antiq. comoed. p. 340 tertium versum non e parabasi sed ex epirrhemate repetitum voluit. Immo necesse est aut Eupolin novo plane exemplo illam unam parabasin e pluribus metris contexuisse, aut Hephaestionem de sede horum versuum errasse ac pro alia Androgynorum scena falso nominasse parabasin. Nam Hermannii Bergkiique conjecturis plane obstant haec verba Hephaestionis p. 101, *πῆ δὲ καὶ ἄλλοις ἐχρήσατο λίαν ἀτάκτοις σχήμασιν*, quae ab Hermanno ad varias formas Cratinei metri ipsius male relata sunt. Non rectius ibidem Hermannus aut in Androgynis prius comma tale semper fuisse contendit,

aut Hephaestionem non adversarii, sed suo ipsius vitio imperitiae accusat. Neque enim Hermannus illius Androgynorum scenae metra perspexit, quae primum ex Hephaestionis verbis *πολυσχηματίστον* et *λίαν ἀτάκτοις σχήμασιν*, tum e legibus polyschematistorum glyconeorum Hermanno illis quidem parum cognitis discere debebat. Sunt autem polysche-

matisti glyconeis alii simplices, qui in plurimis exstant choris Euripidis, alii compositi, qui in comoedia potissimum usurpati sunt. Ac de simplicibus quidem, quos A. Seidler et G. Hermannus adhuc soli tractare coeperunt, alibi dicitur: de compositis autem, quales in Androgynis fuerant eorumque simillimis nunc disputabo. Nam compositi glyconeis polyschematisti constant e binis simplicibus unius versus ambitu conclusis. Quorum partim, ut Eupolideus versus, qui alio metro nullo intercedente per totam scenam continuatur, unius formae sunt, partim variam speciem induunt. Sed variae formae omnes e simplici glyconeo ac potius e paucis ejus formis (simplex enim omnino formas habuit circiter sexaginta) huc translatae sunt. Velut illud compositorum genus, quod in Androgynis fuerat, epionico, Eupolideo aliisque versibus exclusis tantum e variis formis et Cratinei metri et Priapei conflatum erat. Et Cratinei quidem duabus formis apud ipsum Hephaestionem p. 99 sq. tertia addita erat,

Priapei autem quatuor fortasse formae hae expressae erant,

$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$		$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$
$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$		$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$
$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$		$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$
$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$		$\begin{array}{c} \cdot \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \\ \text{---} \end{array}$

Neque haec quidem sine certis testibus dicta sunt. Primum enim si in Euripide binos continuosque glyconeos e simplicium genere ad unum versum redegeris, unamquamque ex his quinque, quas supra posui formis saepissime inuenies. Tum vero eadem formae omnes exstant in duobus locis Pseudopherecratis ap. Athen. XV p. 685, a, altero e Persis,

*Ω μαλάχας μὲν ἐξεῶν, ἀναπνέων δ' ὑάκινθον,  
καὶ μελιότινον λαλῶν καὶ ῥόδα προσσεσηγῶς·  
ὦ φίλων μὲν ἀμάρακον, προσκινῶν δὲ σέλινα,  
γελῶν δ' ἵπποσέλινα καὶ κοσμοσάνδαλα βαινῶν,  
ἔγχει κάπιβόα τρίτον παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν,*

altero e Metallicis,

*Ἐπὶ ἀναδενδράδων ἀπαλὰς ἀσπαλάθους πατοῦντες  
ἐν λειμῶνι λογοφόρῳ, κίπτεϊρόν τε δροσάδη,  
κἀνθρόσκου μαλακῶν τ' Ἴων λείμμακα καὶ τριφύλλου.*

Hos igitur versus, qui polyschematisti sunt e genere compositorum, Hermannus De Metris p. 374 sqq. pro Priapeis habuit. Idem in Epitom. p. 209 ed. II Pseudopherecratis versus ex antistrophicis sumtos conjecit, quos ego quoque in tanta varietate cantatos esse potius

suspicio quam recitatos neque antistropho caruisse. Certe quum Persarum parabasis Eupolideo metro constiterit, ut patet ex Athenaeo III p. 78, d: superior Persarum locus ad parbasin revocari non potest. Jam vero caesuram Priapei versus ubique diligenter observari, Cratinei vero saepe negligi Hermannus in Epitom. p. 210 et p. 213 contendit. At quomodo id in unum eundemque locum cadere potest partim e Priapeo partim e Cratineo compositum? Immo Cratinei quoque caesurae plerumque diligenter observatae sunt. Sed fugerat Hermannus altera Cratinei caesura, ut apud Eupolin

*εἰ δυνατόν, καὶ μὴ τι μείζον | πρᾶττουσα τυγχάνει.*

Transeo ad versum epionicum allatum ab Hephaestione p. 108 ex uno Eupolidis loco ἐν Χρυσῷ Γένει, quod poetae fragmentum integrius servatum est a Prisciano De Metris comicorum p. 421 ed. Ox.

*ᾠ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,  
ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' ἦσθα, νῦν τε μᾶλλον ἔσει.*

Idem: *Ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν  
πῶς οὖν οὐκ ἂν τις ὁμιλῶν χαιροί τοιᾶδε πόλει,  
ἴν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδίαν —.*

Tertio versu falsum esse ἔδει imperfectum vidit Bergkiius De antiq. com. p. 361, sed male scripsit *εἰ δεῖ*, oblitus simillimi l. Avv. v. 157, unde ipse οὗ δεῖ corrigo. Male vero idem ibidem hos quinque versus perpetuo ordine cohaerere finxit, repugnante Prisciano, qui illud „Idem“ non temere interposuit. Sed Priscianus etiam cum Meinekio pugnat, qui Fr. Com. V. II P. I p. 536 post verba πάντων ἰσηγορίαν unum alterumve versum deesse iudicat vocabulis πρῶτον μὲν offensus. Quae offensio ut in Avv. 157 sqq., sic etiam in Eupolide nulla erit, si quartum quintumque versum non eidem sed novae personae assignaveris. Ceterum inter secundum tertiumque versum perpauca tantum a Prisciano ommissa esse suspicor. Sed quarto versu, in quo Jos. Scaliger totius loci restitutor πῶς οὖν οὐκ ἂν τις scripsit, sententia contrarium Οὐκοῦν πῶς ἂν τις requirere videtur, si tamen personas recte sic ordino: *A. ᾠ — ἔσει. B (unum vel duo versus habuit). A. οὗ δεῖ — ἰσηγορίαν. B. Οὐκοῦν πῶς ἂν τις — ἰδίαν* caet. Sic altera a priore persona dissentiet. Hoc igitur metrum Hephaestio p. 108 et epionicum inepte appellavit et spondeos paribus locis iambici metri habuisse finxit. Male enim hunc versum ita dimensus est:

⊖ ⊖ ⊖ — | ⊖ ⊖ ⊖ — | ⊖ ⊖ ⊖ — ⊖ ⊖ —.

Quanto rectius in El. D. M. p. 586 Hermannus:

⊖ ⊖ ⊖ — ⊖ ⊖ — | ⊖ ⊖ ⊖ — ⊖ ⊖ —

caesuram, quae ipsa non ubique servetur, esse ratus post syllabam octavam. Attamen incisio ubique illa quidem observatur, sed est duplicis generis, altera quam Hermannus neglexit, post septimam syllabam:

⊖ ⊖ ⊖ — ⊖ ⊖ — | ⊖ ⊖ ⊖ — ⊖ ⊖ —  
*ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' | ἦσθα νῦν τε μᾶλλον ἔσει.*

Sed quoniam illud unicum huius metri exemplum ab Hephaestione allatum est, hoc quidquid est damni ita compensabo, ut binis qui continui sint, glyconeis simplicibus uno versu conclusis idem plane metrum efficiam. Sumsi autem ex Euripide pauca de multis, et sumsi non elegi primum quidem prioris exempla caesurae:

συριζόντων κατὰ πρύμναν | εὐναίων πηδαλίων.  
 λευκὰν ἀκτὰν Ἀχιλῆος | δρόμους καλλισταδίου.  
 δεξαίμεθ' Ἑλλάδος ἐκ γᾶς | πλωτήρων εἴ τις ἔβα  
 (Iphig. T. v. 431 sq.; ibid. v. 436 sq.; ibid. v. 448 sq.), deinde alterius caesurae:

καρύξεν ἄγγελίαν | Εὐρώταν ἐφεζόμεναι.  
 ἄν Ἰδαίων ἐρίδων | ποινὰθειο' ἐκήσατο γᾶν.  
 ἢ χειρ' ὑπὲρ κορυφᾶς | τῶν ἐχθρῶν κρείσσω κατέχειν.

(Hel. v. 1491 sq.; ibid. v. 1508 sq.; Bacch. v. 879 sq.) Adde Iphig. T. v. 1102 sq.;  
 ibid. v. 1119 sq.; ibid. v. 429 sq.; ibid. v. 446 sq.; Hel. 1311 sq.; ibid. v. 1329 sq.;  
 ibid. v. 1343 sq.; ibid. v. 1359 sq. caet. Quibus locis epionicum demonstratur e duobus  
 glyconeis polyschematistis ab Eupolide compositum esse. Venio nunc ad nobilissimum ver-  
 sum, EUPOLIDEUM, quocum Hephaestio p. 108 sq. epionicum, cui haud dissimilis est, apte  
 conjunxit. Nam hoc metri genus, quod olim unus Bentley noverat, etsi nunc Hermanni et  
 magis etiam Porsoni opera melius intelligi coeptum est: tantum tamen abest, ut omnis de  
 eo dubitatio sublata sit, ut ne leges quidem hujus metri certo perceptae videantur. Ac  
 primum Eupolideus compositus etiam in duo versus simplices a comicis dividitur, ut a Phe-  
 recreate in Ἀγρίοις ap. Athen. VII. p. 316, e

Ἀνθρώποισιν καὶ βρακάνοις  
 καὶ στραβήλοισι ζῆν' ὀπότεν δ'  
 ἤδη πεινώσι σφόδρα,  
 ὥσπερ εἰ τοὺς πολυλύποδας  
 — — — νύκτωρ περιτρώ —  
 γειν αὐτῶν τοὺς δακτύλους.

Ita enim hos versus, qui ab Hermanno El. D. M. p. 579 non sine pluribus vitiis in Eupo-  
 lideos mutati sunt, optime disposuit Dobraeus ad Nub. v. 518 comparato eodem metro in  
 ejusdem Pherecratis Crapatalis ap. Photium p. 647, 24 sive Suidam s. Φίλιος:

Τοῖς δὲ κραταῖς  
 τοῖς νυνὶ κρίνουσι λέγω,  
 μὴ' πιθοκεῖν μηδ' ἀδίκως  
 κρίνειν, ἢ νῆ τὸν Φίλιον  
 μῦθον εἰς ὑμᾶς ἕτερον  
 Φιλοκράτης λέξει πολὺ τοῦ —  
 του καηγορίστερον.

In quibus systematis duo ultimi versus conjuncti uni pares sunt Eupolideo. Hos autem  
 versiculos, id quod vel ipsa sententia Bernhardium nostrum ad illum Suidae locum docere  
 poterat, e parabasi Κραπατάλων sumptos esse Porsonus ap. Gaisf. ad Hephaest. p. 355  
 primus vidit: quem Bergkiius De antiq. com. p. 301 secutus bene addidit ex ea parte para-  
 basis ductos esse, quae μακρὸν sive πνίγος vocitata est, ac propriam parabasin Eupolideo  
 metro scriptam fuisse videri. Quo magis doleo, eundem Bergkium alio eorundem Crapata-  
 lorum fragmento ap. Athen. XI p. 485, d mire abusum esse: quod ipsum e propria para-

basi atque ea Eupolideo metro scripta fluxisse infra ostendetur. Ita hoc uno Crapatalorum exemplo parabaseos Eupolideo metro inclusae *πνίγος* ejusque metricas rationes cognitae habemus. Nam *πνίγος*, parabaseos pars non necessaria in Nubibus certe post v. 562 nullum est: quem ipsum versum etsi priorum Nubium reliquiae excipiant, non videtur tamen Aristophanes, etiamsi alteras Nubes plene absolvisset, post v. 562 *πνίγος* additurus, sed eo omisso retentoque ex priore fabula hymno v. 563 sqq. et antistr. v. 595 sqq. epirrhemata tantum mutaturus fuisse. Sed commatium idque choriambicorum versuum in Nub. v. 512 — 517 praemissum est. Eupolidis autem verba ap. Hephaest. p. 132

*εἰωθὸς τὸ κομμάτιον*  
*τοῦτο — — — — —*

ex ipso commatio atque eo tali petita sunt, quod parabasis Eupolideorum versuum sequeretur. Male enim Porsonus in Adversar. p. 286 et Dobraeus ad Nub. v. 518 hoc fragmentum, quod non e propria parabasi sed e commatio fluxit, pro Eupolidei versus initio habuerunt. Immo hoc commatium eodem metro, quo Crapatalorum *πνίγος* constiterat. Sed in Eupolideo versu (illuc enim revertor) ab altero commate, quod maximam dubitationem habet, incipiam, ὕστερον πρότερον, Ὀμηρικῶς. Hoc priori commati, id est glyconeo polyschematisto, catalecticum esse recentiores metrici, ut Porsonus ad Hephaest. p. 355 et ad Nub. v. 518 recte illi quidem iudicant, sed caeteroqui de eo tacent, neque aut originem hujus commatis aut numerorum naturam sibi investigandam esse arbitrantur. Latini vero metrici, quibuscum schol. ad Nub. v. 518 consentit, totum versum ita metiuntur, ut posterius comma mere sit trochaicum,

*— — — — — | — — — — —*

Vide Marium Victorinum III, 2, 12 p. 141 ed. Ox., eundem IV, 1, 23 p. 197 sive eundem prope locum ibid. § 35 p. 200, (ubi hunc Eupolideum finxit: „Juppiter vocatus adest: dii favete caeteri“) et M. Plotium VII, 13 p. 288 (ubi pro „primo pede trochaeo“ corr. „primo pede ditrochaeo“). Eandem mensuram secutus videtur Atilius Fortunatianus VIII, 2 p. 324, ubi apud graecos inventum tale genus „consulto producit eum, quo sit impudentior“ (hoc est Eupolideum versum, monente etiam Hermanno El. D. M. p. 611) cum Romanorum Saturnio versu comparat, cujus posterius comma ipsum quoque trochaicum est. Verum latini metrici ut de prioris commatis ditrochaeo falluntur, ita iidem de altero commate non prorsus errasse censendi sunt. Nam hoc comma ab initio nihil aliud quam trochaicum hepthemimeres fuisse certis argumentis demonstrari potest. Primum Euripides in tanta glyconeorum et qui eis immixti sunt similium versuum multitudine hac forma

*— — — — — | — — — — —*

pertinaciter abstinuit. Contra idem comma mere trochaicum,

*— — — — —*

monoschematisto saltem glyconeo subjungere non dubitavit, ut in Hippol. v. 67

*καλλίστα πολὺ παρθένων,*  
*ἃ μέγαν κατ' οὐρανόν*

et in Electr. v. 153

*ποταμίους παρὰ χεύμασιν*  
*πατέρα φίλτατον καλεῖ.*

Deinde cum Eupolideo Cratineum metrum eo magis comparare licebit, quod in utroque metro posterius comma prorsus idem est, prius in Cratineo simile, choriambicum illud quidem, sed generis glyconei. Atqui Hephaestio p. 96—101 clare docuit, posterius comma in Cratino utpote purum e trochaico hephthemimeri constitisse ideoque Cratineum ipsius Cratini versum non fuisse nisi hunc,

πάντα φρονητὰ, πάντα τολμητὰ τῷδε τῷ χορῷ,

sed Eupolin hunc ipsum versum polyschematistum reddidisse altero ejus commate sic mutato,

— — — — —  
| — — — — —  
— — — — —  
— — — — —

ἄνδρες ἑταῖροι δεῦρο δὴ τὴν γνώμην προσίσχετε.

Nam in hoc versu metri causa δεῦρο δὴ recte emendavit Hermannus in El. D. M. p. 584 pro δεῦρ' ἤδη ipsius, ut videtur Hephaestionis errore, quo uno castigato ibidem Hermannus praeclara Hephaestionis de Cratineo observatione uti nescivit. Male enim Hermannus p. 582 optimis ipsius Cratini trochaeis neglectis posterius Cratinei comma etiam ab iambica basi incipere posse putavit. Id enim in Eupolideum versum choriambo praecedente utique cadit, in Cratineum vero, in quo iambi ipsi antecedunt, nullo modo. Nunc Hephaestionem de Eupolideo ipso disserentem audiamus p. 109: καὶ τὸ Εὐπολίδειον τὸ καλούμενον ἐπιχοριαμβικὸν πολυσχημάτιστόν ἐστιν, ἐν ᾧ τὰς τροχαϊκὰς (scil. συζυγίας) παρὰ τὰ ξιν ποιοῦσι δέχεσθαι τὸν σπονδεῖον ἐνίοτε δὲ καὶ ἀντισπαστικὸν καθαρὸν ποιοῦσιν οἶον,

εὐφρόνας ὑμᾶς ἀπέπειπ' οἴκαδ' ἄλλον ἄλλοσε.

ὁ σῶφρων τε χῶ καταπύγων ἄριστ' ἤκουσάτην.

De quo loco Hermannus in El. D. M. p. 578: Apparet, inquit, Hephaestionem multum a vera ratione aberrasse. Sane Hephaestio in eo erravit, quod initium Eupolidei, ut latini metrici, ipse quoque pro ditrochaeo habuisse videtur.



## INDEX LECTIONUM.

### In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O.,** Academiae Senior, privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam h. VIII quinis dd. docebit; 2) historiam dogmatum h. IX senis dd. tradet. Publice 1) sacrorum instaurationis historiam h. XII binis dd. enarrabit; 2) theologiam pastoraalem, legum Mecklenburgicarum ecclesiasticarum ratione habita, h. XII binis dd. praeibit. In Seminarii sodalitie catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** 1) privatim quinis dd. h. IX alteram historiae ecclesiasticae partem enarrabit; 2) privatim senis dd. h. X et die Saturni h. IX theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitie homileticas sodalium exercitationes dd. Martis et Mercurii h. II moderari perget.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O.,** h. t. Decanus, privatim 1) epistolas catholicas interpretabitur quinquies h. III—IV; 2) introductionem in N. T. tradet quaternis dd. h. IV—V; publice 3) introductionem in libros symbolicos docebit binis dd. h. IV—V; 4) conversatorium exegetico-dogmaticum moderabitur binis horis definiendis.
- D. Michaelis Baumgarten, P. P. O.,** privatim 1) Psalmos selectos interpretabitur quinquies h. XI—XII; 2) introductionem in libros V. T. canonicos tradet quinquies h. XII—I; publice 3) elementa Syriaca docebit horis binis; 4) exercitationes exegeticas moderari perget horis binis.

### In ordine juridico.

- D. Fridericus Raspe, P. P. O.,** tradet principia juris criminalis communis et Megapolitani, duce Hefster, sexies h. XI—XII et XII—I.
- D. Otto Mejer, P. P. O.,** quinquies per hebdomadem 1) Jus publicum Germanicum h. III; 2) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum h. IV docebit.
- D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O.,** 1) pandectas, Puchta duce, sexies h. IX et X; 2) jus hereditarium quinis scholis h. III profitebitur.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O.,** h. t. Decanus, tradet 1) institutiones juris Romani quotidie h. X—XI; 2) historiam juris Romani quinis per hebdomadem scholis h. IX—X.
- D. Paulus Roth, P. P. O.,** 1) Jus feudale Mecklenburgicum quinquies h. IX; 2) historiam juris Germanici quinquies h. X docebit.

- D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke**, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judicarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem eamque practicam h. c. moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commlitonibus offert.

### In ordine medico.

- D. Henricus Spitta, P. P. O.**, docebit horis commodis: 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensam in usum medicorum et jurisconsultorum.
- D. Carolus Stempel, P. P. O.**, docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum cum demonstrationibus et exercitationibus in cadaveribus conjunctam quater p. h. hor. IV et 2) Clinicum chirurgicum quotidie hor. X—XI moderabitur.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O.**, docebit: 1) encyclopaediam et methodologiam medicam binis p. hebd. horis; 2) zootomiam horis p. hebd. senis; 3) elementa physiologiae quaternis horis.
- D. Carolus Bergmann, P. P. O.**, h. t. Decanus, 1) anatomae c. h. partem primam tradet; 2) exercitationes anatomicas assistente Prosectore L. Gronau diriget.
- D. Gustavus Veit, P. P. O.**, 1) artem obstetriciam quater p. h. h. VIII—IX docebit; 2) de morbis mulierum bis p. h. h. IX—X disseret; 3) exercitationes practicas in Clinico obstetricio quater p. h. h. IX—X aliisque horis moderabitur.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. E.**, 1) pathologiae et therapiae specialis partem alteram quaternis diebus hora III; 2) anatomen pathologicam et necroscopiam binis diebus hora III docebit; 3) scholas medico-clinicas in nosocomio habebit senis diebus hora XI.
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. Joannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensam; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Ludovicus Dragendorff** docebit: 1) artem obstetriciam h. VI p. h.; 2) examinatoria et repetitoria cupientibus offert.

### In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., h. t. Decanus, privatim** 1) trinis diebus h. VIII Thucydidem (libb. I—IV) interpretabitur; 2) item trinis diebus h. VIII Horatii carminum libb. I—III explicabit; 3) binis diebus h. II antiquitates Graecorum scenicas exponet. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Aeschyli Agamemnon et Hecyra Terentii tractabuntur.
- D. Johannes Roeper, P. P. O., privatim docebit** 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XI; 2) de physiologia plantarum disseret diebus Lunae et Veneris h. X; 3) initia cryptogamologiae exponet diebus Martis et Jovis h. X; 4) publice familias quasdam regni vegetabilis paullo accuratius tractabit die Mercurii h. X.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim** 1) sexies p. h. agriculturam et rem pecuariam docebit h. IX; 2) de praedio rite administrando totaque re rustica bene instituenda exponet quaternis diebus h. III.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim** 1) ter per hebdom. Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur; 2) ter per hebdom. Ciceronis epistolas ad Atticum explicabit. Privatissime quater per hebd. Topographiam veteris Graeciae, duce Pausania, tractabit.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit publice:** astronomiam popularem bis p. h. horis definiendis. Privatim: 1) calculum differentialem quater p. h. hora VIII; 2) mineralogiam quater p. h. hora IX. Privatissima offert collegia de qualibet matheseos vel physices parte, nec non de rebus nauticis. Disputatorium de rebus ad historiam naturalem pertinentibus una cum collegis Roeper et Schulze moderabitur.
- D. Carolus Hegel, P. P. O., h. t. Rector,** 1) de acceptis et expensis publicis (Finanzwissenschaft) binis diebus h. III disseret; 2) quaternis diebus h. III historiam Germaniae recentiore tractabit; 3) item quat. diebus h. IV historiam Magnae Britanniae enarrabit.
- D. Franciscus Schulze, P. P. O.,** 1) chemiam organicam tradet quotidie h. XII—I; 2) exercitationes chemicas moderabitur, bis per hebd. h. VIII—XII; 3) privatissime offert exercitationes agronomicas, horis definiendis.
- 
- D. Fridericus Francke, P. P. E., horis commodis** 1) publice historiae generis humani philosophiam explicabit, binis diebus p. h.; 2) privatim logicam quinis, et 3) doctrinam morum philosophicam s. ethicam itidem quinis p. h. dd. docebit.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim** 1) quaternis diebus h. III—IV Taciti Annales interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V historiam litterarum Latinarum tractabit; 3) binis diebus h. III—IV de syntaxi Graeca disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

**D. Eduardus Schmidt, P. P. E.**, docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam moralem, bis p. h. h. III; 2) privatim psychologiam, quater p. h. h. IV; 3) privatim philosophiam historiae, inprimis novissimae, quinques p. h. h. V.

**D. Carolus Weinholtz** 1) logicam formalem ex compendii sui secunda parte (Rostock 1834) docebit comparatis Aristotelis et Hegelii doctrinis; 2) quomodo cohaereant loqui, cogitare et sentire nec non de principio logico, rhythmico et euphónico disseret spectabitque libellum suum: »Zur Erklärung des Ursprungs und der Bedeutung des Wortes«, Leipzig 1854; 3) de doctrinae morum et juris naturae principiis tractabit comparato libello suo: »Die Begründung des Rechts und die Aufhebung der Sittenlehre durch die Rechtslehre«, Rostock 1847.

**D. Julius Robert** 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) bis p. h. historiam literarum Gallicarum usque ad novissima tempora tradet; 3) privatim ter p. h. de earundem literarum statu saeculo nostro disseret; 4) privatim bis p. h. exercitationes in eorum usum moderabitur, qui linguam Gallicam aliquando docturi sint.

**Bibliotheca** h. XII—I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem pingendi, musicam aliasque doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

**Carolus Hegel, Ph. D.**

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippus, Th. D.**

Juris consultorum **Hermannus Schwanert, J. U. D.**

Medicorum **Carolus Bergmann, M. D.**

Philosophorum **Franciscus Fritzsche, Ph. D.**